

EX arcanis naturæ est, quòd, ingruente hyeme, ranæ & hirundines, aquis submersæ, veluti mortuæ jaceant, & vere novo calore Solis operante recuperent sensum & motum seu vitæ sensitivæ actionis peragant: Quod si verò ipso Brumali tempore in aquis reperiatur in aërem seu hypocauftum calidum adferantur, mox sese movere, ut in æstate, incipiunt: Unde apparet, quod illis nil nisi calor deficiat externus, qui calorem naturalem internum conclusum excitet & in actum deducat: Eodem modo Philosophi de suo Hermaphrodito loquuntur, qui si in tenebris jacens appareat mortuus, ignis calore indigeat: In tenebris verò jacere dicitur, dum per noctem hyemis opacam & frigidissimam dimittitur, hoc est, in nigredine, quæ frigiditatis signum est, manet, à quâ ad albedinem per majorem ignis intensiorem adduci debet, & adhuc per majorem, ad rubedinem: Absque calore enim, ut Bodillus in turba ait, nihil generatur, & balneum intensi caloris perire facit, si verò frigidum sit, fugat, si autem temperatum sit, corpori conveniens & suave fit. Ibidem Bonnellus, *cuncta, inquit, quæ vivunt, Deo sic volente, etiam moriuntur: Propterea illa natura, cui humiditas adæpta est, cum per noctes dimittitur, mortuo similis videtur, & tum illa natura igne indiget, quousque corpus & illius spiritus in terram vertatur, & tunc fit pulvis mortuo similis in suo tumulo: His peractis reddit ei Deus spiritum & animam, & omni infirmitate ablata confortata est natura nostra & emendata: Oportet igitur illam rem comburere absque timore, &c.* Ignis itaque, qui omnes alias res destruit, hanc construit, quæ reliquis mortem, huic vitam præbet. Unicus est Phoenix, qui reparatur igne, qui innovatur flammis & ex cinere emergit redivivus, atque hic Philosophis solis notus, crematur & in vitam revocatur, quicquid alii somniant de ave, nescio quâ, volatili, nusquam existente, nec visâ, nisi fabulosè: Est autem Hermaphroditus, de quo Philosophi loquuntur, mixtæ naturæ, masculeæ & foemineæ, quarum una transit in alteram calore operante; Ex foemina enim fit masculus, quod non adeò mirum in Philosophorum opere videri debet, cum & sexum mutasse quamplurimos, si historiis fides habenda est, repertum sit: Poëtæ Ceneas, Iphin & Tiresiam commemorant, ut Pontanus in stellis: Pœniteat